li- is ho- minum diffu- sa est gratia in la-
bi- is tu- is. V. Eructavit cor me-
um uer- bum bo- num dico e- go o- pera me-
a re- gi lingua mea ca- la- mus scribe
uelo- ci- ter scriben- tis. Alleluia. Dominus regnavit.

In illo tempore. Erat ioseph et maria mater Secundum Lucam. ihesu mirantes super hiis que dicebantur de illo. Et benedixit illis symeon. et dixit ad mariam matrem eius. Ecce positus est hic in ruinam et resurrectionem multorum in israel. et in signum cui contradicetur. Et tuam ipsius animam pertransibit gladius. ut revelentur ex multis cordibus cogitationes. Et erat anna prophetissa filia phanuel. de tribu aser. hec processerat in diebus multis. et uixerat cum uiro suo annis septem a uirginitate sua. Et hec uidua usque ad annos octoginta quatuor. que non discedebat de templo ieiuniis et obsecrationibus seruiens die ac nocte. Et hec ipsa hora superueniens confitebatur domino. et loquebatur de illo omnibus qui expectabant redemptionem iherusalem. Et ut perfecerunt omnia secundum legem domini. reversi sunt in galyleam. in civitatem suam nazareth. Puer autem crescebat et confortabatur. plenus sapientia. Et gratia dei erat cum illo. Offertorium. Deus enim firmavit. Secreta. Oblatum tibi domine sacrificium uiuificet nos semper et muniat. Per. Communio. Tolle puerum et matrem eius et uade in terram iuda defuncti sunt enim qui querebant animam pueri. Complenda. Augeatur in nobis domine quesumus tue uirtutis operatio. ut diuinis uegetati sacramentis. ad eorum promissa capienda tuo munere preparemur. Per.